

creationem et lapsum. Initium: Sacris conditionibus eruditi. et exercitio sedule cogitationis orthodoxorum uirorum sanctionibus edocti. tres dies esse pro futura insinuatione comperimus. quorum qui alios antecedit. a principio creaturarum initium sumpsit. ad consummationem mundi in uoce angeli per ignem obpandendam perduraturus. Secundus uero usque ad generale (sic) perducendus. tercius sine fine mansurus. Est enim prima dies presentis temporis. Secunda tumuli. Tercia eternitatis. &c. Atque in prima solum ficit Noster, officia ejus allegoriis undique e sacro textu etiam obtorto collo adtractis docens. Solicite more meo quaesitus operam lusit, neque aliud Operis ejus Exemplar in Catalogis *Mss.* reperi. Episcopum eum fuisse, aut Abbatem in cujusdam Principis aula distentum memoratae superius curiales sollicitudines inuunt. Opus ipsum, ad cujus calcem brevis *Expositio sancte Trinitatis* additur, fat mendose scriptum est.

CCLIII.

U. 53 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 200. f. per duas columnas commode scriptus et rubricis distinctus I. hunc praefert Titulum: *Incipit prologus libri* (numerus extritus, qui debet esse VII.) *quo tractatur de uisionibus ymaginarijs et sompnijs.* Autor nullibi memoratur; est uero *Johannes* a Castello natali in *Tuscia* dictus *de S. Geminiano* Ord. Praed.

Scriptor Sec. XIV. et Autor *Summae de Exemplis et Rerum Similitudinibus* constantis Libris X. quorum praefens noster VII. est. Editiones integrae hujus *Summae* refert *Quetifus* T. I. *Scriptt. O. P.* p. 528. atque inter eas illam uetustam *f. l. et a.* quae nomen *F. Helvici Teutonici* praefert, quo se in *Prologo* occultare uoluit *Johannes*, ut uisum *Quetifo*, licet L. VI. c. 52. edit. *Venet.* 1576. 8. p. 249. prodat *terram originis suae, scilicet Castellum Sancti Geminiani, quod est in partibus Thusciae XV. milliariis distans a Ciuitate Senarum.* Prologi nostri peculiaris initium est: *Si quis fuerit inter uos Propheta Domini &c.* et finis Libri: *prospera per terram intelliguntur.* Librum hunc seorsim hic descriptum putem, quod *Somnia et Visiones biblicas* exponit, ideoque ad *sacram Hermeneuticam* pertinet.

II. fol. 38. absque omni vel Titulo, vel Autoris mentione incipit *Expositio Libri Job*, quae est *Hugonis a S. Caro* O. P. Card. qui Sec. XIII. *Postillas* in uniuersa Biblia elaboravit. In edit. *Lugd.* 1645. *Expositio* nostra habetur T. I. p. 396. abest tamen a *Codice Hugonis Prologus*, et initium ducitur a *Comment. in Prologum Hieronymi: Cogor. stimulis rationis. prou. XXVI. Responde stulto &c.* Extrema Operis sunt: *quibus omnes electi adiuuantur.* Atque his, ut feria ludo uertam, *Librarius* Tribus suae *Formulae* cumulatim adjecit:

*Heu male finiui quia non bene scribere sciui.
Igitur habentes petit scriptor atque legentes
Equaliter omnes ut sint eique fauentes
De pneumatis bono quod sperat in ethere dono.
Splendidior stella me diligit una puella
In tota villa non est formosior illa.
Omnibus orba malis prescriptio hec manualis.*

Sub Anno Domini Millesimo. CC. CC°. sexto In vigilia penthecosten per manus Wenczeslai de Jegerdorff.

III. fol. 191. Incipit Descriptio terre sancte. Praefatio: Dilectissimo in christo ihesu patri fratri burcardo leGori fratrum ordinis predicatorum Maydburck frater burchardus de monte syon cum omni deuotione orationes in Domino ihesu christo. Quid uobis scribam pater karissime non inuenio &c. Vide, quae de hoc Viro Sec. XIII. e Germania Patria sua in Palaestinam profecto, et per 10. annos ibi commorato disquisiuerunt Quetifus in Scriptt. O. P. T. I. p. 391. Fabricius Bibl. med. Lat. v. Brocardus, Oudinus

in Epist. ad Jac. Basnagium praefixa T. IV. Thes. Monum. Canisiani edit. Amst. 1725. f. Descriptio eius in variis Codd. et Editionibus varias vices experta est partium transpositione, interpolatione, stili mutatione, ut adeo genuino de Brocardo seu Burcardo statuere difficile euaserit. Jam Praefatio, quam indicavi, a variis abest. Inveniat eam tamen in Exemplo suo, quod Pedepontanorum S. Magni Canonicorum reg. erat, Henr. Canisius, meliusque consulisset in commune Basnagius, si cavillorum loco conquistis aliis exemplis illam emendatiorem dedisset. Id quod e nostro hic praefabam:

Editio

*meum desiderium
pedibus calcare
cum parentibus
principaliter erat facta
et factis honorabilis
Armenia, Chaldaea, India
Chaldaeam
obediens vestrae visioni
ad decem plagas mundi
ut respondeant novem ventis*

Codex

*Adde: adimplevit
pedibus circuire.
Adde: et amicis
praesentialiter erant facta
et sanctorum venerabilia
Praepone: Georgia
Chaldaeam
obediens vestrae iussioni
ad quatuor plagas mundi.
ut respondeant duodecim ventis.*

Omifi

Omnia leviora. Id addo: Exempli nostri Partes cum Scriptoris, tum Compactoris vitio trajectas esse, et ultima quaedam folia deperiisse.

CCLIV.

R. 1993 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 214. 4. maj. per duas columnas nitide exaratus, minio distinctus, et olim *Domus Portae beate Marie virginis In axpach ordinis Cartusienfium prope Danubium*, in infer. *Austria* fequentia complectitur: I. *Biblia beate Marie Virginis*. Initium: *In principio creavit deus celum et terram. Gen. I. Celum f. empyreum per quod intelligitur domina mundi uirgo maria. Est enim fimilis celo multis de caufis. quarum una ponitur in byftoria. Empyreum enim quoniam cito factum est. ftatim difpofitum et ornatum est. quod non alij celi. fic et ipfa in gratia et fanctificatione. &c.* Ita excepto *Efdra, Pfalterio, Machabaeis, Actis et Epiftolis Apoftolicis* enotatur e facris *Literis*, quidquid adcommodari *Deiparae* poteft. Conclufio vero eft ejusmodi: *Hunc libellum ad honorem tuum qualitercunque compilatum benigne fufcipias. et omnia peccata mea diluas. Gratiam gratum facientem finaliter tribuas. et ad gloriam fempiternam me famulum tuum Martinum perducas. Amen. Tu quoque o lector quidquid in eo emendandum eft caritate fraternam ftudeas emendare. Emendemus ergo mox in hoc Epiphonemate rō diluere et tribuere, utpo-*

te quod foli Deo competit. Quis porro *Martinus* is, *Bibliothecae Marianaе Marraccii* addendus, fuerit, cum ignaris ignoro. Tō *Gratia gratum faciens* Scholafticorum *Seculum* respicit.

II. fol. 38. p. 2. fequitur prolixā et gravis *Oratio ad Deum*, quae incipit: *Omnipotens et mifericors Deus qui effentialiter es bonus, cuius gratia preuentus homo fua peccata confiderat plangit et deserit &c.* et finit: *de te uiuentes et te benedicentes teque in perpetuum collaudantes Qui in trinitate perfecta uiuis et regnas Deus. Ad Soliloquia et Meditationes olim Auguftino adfcriptas, et ad Orationes Anfelmianas accedit.*

III. fol. 42. Incipitur *salutatio beate Marie virginis a fratre Chunrado compilata*. Initium eft: *Quoniam ut ait Jeronimus nulli dubium eft &c.* Ad calcem vero *Claufula* miniata habet: *Explicit fpeculum beate virginis*. Quid jam ftatuemus? Extat fub hoc *Titulo* inter *Opera Bonauenturae* edit. *Lugd. T. VI. p. 429.* totum hoc *Opusculum* priorem *Salutationis angelicae* Partem explicans; at nos a *Fratre Chunrado* didicimus *compilatum*. Et adftipulatur *Tribemius* in *Catal. illustr. Viror. Germ. f. 26. Conradum de Saxonia O. M.* inter alia *L. unum de Salutatione Angelica* fcripiffie teftatus, id, quod et ipfe *Waddingus* in *Biblioth.* *Ordinis* non abnuit. Nunquid conualefcit ab eo p. 75. relata *Julii Nigronii* fufpicio: *Omnia Opuscula fpiritualia, quae fine authore circumferreban-*